obtulit. neque ab alio quam a beato martino habitu uirginitatis imposito passus est conse- Beatus (lectio iii.) -crari.

Beatus martinus prophanum erroris templa destruxit: uexilla pietatis erexit. mortuos suscitauit. ab obsessis corporibus demonia seua exclusit. ac uariis laborantes languoribus salutis remedio subleuauit. Qui ita perfectus inuentus est ut christum texisset in paupere et ueste quam egenus acceperat mitior dominum induisset. O felix largitas: qua diuinitas operitur. O clamidis gloriosa diuisio: que militem texit et regem. O inestimabile donum quod uestire meruit diuinitatem. Digne huic domine confessionis tue premium contulisti. Digne cui arrianorum subiacuit feritas. Digne amore martirii persecutoris tormenta non timuit. Quid erit pro oblatione magni corporis recepturus: qui pro quantitate uestis exigue deum uestire meruit et uidere. Sic sperantibus contulit medicinam: ut alios supplicationibus, alios nutu saluaret. In die octauo residuum legende de uita ipsius lr̄.

Cum beatus martinus mediolanum petiisset: diabolus in humana specie sibi obuius fuit. et quo tenderet requisiuit. Cui cum respondisset se quo eum dominus uocaret tendere. ille ait. Quocumque ieris: diabolus tibi aduersabitur. Cum autem martinus sibi respondisset. dominus michi adiutor: non timeo quid faciat michi homo: ille euanuit. Itaque matrem conuertit: pater uero in errore permansit. Sed cum heresis arriana per totum orbem pullularet et ille pene solus obsisteret: publice cesus et ciuitate eiectus mediolanum rediit. ibi sibi monasterium statuit. Sed inde ab arrianis eiectus. ad insulam gallinariam cum uno solo presbitero perrexit: ibi elleborum gramen uenenatum inter alias herbas in cibum sumpsit. et uicinam mortem sentiens omne periculum et dolorem uirtute orationum fugauit. lectio ii.

Audiens uero quod beatus hylarius de exilio rediret. obuiam ei profectus est: et iuxta pictauum monasterium ordinauit. ubi cum quendam adhuc cathecuminum haberet.